

I 2 W

1 6 0 5



✓ 00/19.

ms. No. 296.

Gesner, Jul. (3^{te} disputaciones)


—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit
Jacobo Tappia.

comptur 1.13.7














*Jacobus Tappio in folio
facto 1622*



DISPUTATIO I.
PRO EXAMINE
CONCILII TRIDENTINI
CONSCRIPTO à CLARISSIMO
Viro Dn. Martino Chemnicio
S. Theologiae Doctore, trium
capitum.

- I. De vita Ignatij Lojolæ Iesuitarum Patriarchæ,
- II. De causis institutæ hujus repetitionis.
- III. De autoritate Conciliorum,
quam sub præsidio.

SALOMONIS GESNERI
S. Theologiae Doctoris & Profefs. ad pri-
vatam συζητησιν proponit.

IOH. GEORGIUS HOCHSTATE-
RVS, Kittingensis Fr. Poëta Coron.

Anno Christi 1602. die 13. Ian:

Math. 7. Cavete à Pseudoprophetis.

VVITTEBERGAE,

Typis VVolffgangi Meisneri.



Faint, mirrored text from the reverse side of the page, including the name 'WITTEBERGER' and other illegible words.



99 A 6902



THESIS. I.



ROpositum nobis est, DEO bene iuvante, bre-
 quamdam repetitionem Exanimis, quo Re. v. & Cla-
 riss. Theologus D. M. Chemnitius Canones & Decreta
 Conciliabuli Tridentini excussit, in presentiarum
 instituire: Ac quia Iesuitarum thra-sonicis declama-
 tionibus labor iste primus fuit oppositus, nunc quoq;
 à nobis idem meritò opponetur. Quam sanè ob rem
 me Auditores & Lectores in ignotà, quod ajunt, terrà versentur, visum
 nobis fuit, primo statim limine Disputationum originè Iesuiticæ societa-
 tis ab ovo recensere, quam quidem ex Historicà narratione ipsorum Ie-
 suitarum habemus: postea verò de suscepti operis causis, ut & de Conci-
 liorum autoritate nonnihil in medium proferemus.

II

Vt verò rectè & ordine originem Sectæ Esaviticæ cognoscamus: ex-
 minabimus Lojolam fundatorem & Patrem hujus Ordinis secundum dis-
 versos, in quibus vixit, ordines & status. Primus est militia. 2. Con-
 versionis. 3. Peregrinationis: 4. Studiorum. 5. Concionatoris, quem
 egit Venetiis & Romæ antequam confirmaretur societas à Paulo III.
 6. & postremus est præfecturæ generalis confirmatà jam societate, in qua Causa finis
 etiam diem suum Lojola obiit. Priusquàm verè de Patre viperinæ hu- lis novi or-
 jus progeniej dicamus, sub considerationem nobis venit finis, quem or- dinis, Ie-
 dinis hujus Autor in creatura hâc nova sibi habuit præfixum. Eum ita suitici.
 nobis P. Massæus Iesuita l. 1. vitæ Ing. Lojolæ c. 4. aperuit: CVM LV-
 THERVS Anno post C. N. 1522. ab Imp. Carolo V. VVormatiam evocatus
 opinionum suarum in illo conventu effudisset virus, sediç, Aposto-
 licæ & Cacolicæ Veritati bellum indixisset, tum ex altera parte præter
 alia militantis Ecclesiæ robora novus excitatus est dux, ut ipse &
 Sectatores ipsius obligati religionis artissimo Sacramento, adactiq; no-
 minatim in verba Romani Pontificis furori & libidini hæreticæ prævi-
 gatis opponerentur. Hac illis.

III.

Ac quod in exitium & interneccionem Reformatæ potissimùm do-
 ctrinæ Lutheranae excocctâ sit hæc Secta, præter reliqua ostendit etiam e-
 Chemnitio. |
 rectio novi Collegij Romæ A. C. 1553. in quo maxima juvenum Germa- part. 1. Ex
 norum multitudo in bonis literis & religione Pontificia sumtibus Papæ pag. 3.
 instituitur

2
instituitur, cuius gubernationem ipsi susceperunt Iesuitæ: ut sic per istos, Germanos patria nostra dulciss. ad oscula pedum Pontif. deducatur, & post liminè q. ad inquinamenta doctrinæ, à quibus erat elapsa, turpiter revertatur, 2. Pet. 2. v. 20: & ad Babylonem illam magnam, unde prius cum gaudio exierat, aeterno suo cum malo redeat Apoc. 18. Atq. id Collegium seminarium Germanicum vocant, quòd videlicet ad Catholicae fidei reliquias in septentrionali plaga fovendas augendasq. cum primis faciat Mass. l. 3. c. 13.

IV.

Merito igitur piis mentibus suspecta esse debet ista colluctatio, quæ unice sibi habet hunc propositum scopum, ut Angelum illum per medium caeli volentem aeternumq. mundo adferentem Evangelium Ap. 14. 6. & alios fideles Dei servos, idoli illius positi in loco sancto abominationem Dan. 9. 27. Matth. 24. 15: & Antichristum Romanum sedentem in Templo DEI & efferentem se tanquam Deum 2. Thes. 2. 4. infallibili SS. scripturarum normâ detegentes, quâ vi, quâ fraude adoriatur & pessumdet: & ceu locustæ ex abyssu proruentes, densissimâ traditionum humanarum & Sophisticarum deceptionum nebulâ animos hominum occupet Apoc. 9. 2. Thaidis Romanae purpuratæ turpitudinem tegat. Apoc. 17. Characterem Bestiæ in manu sua dextra aut in fronte non suscipientes interimat Apoc. 13. 16. per hypocrisin falsiloqui, prohibentes nubere, & al sinere à ciliis quos Deus cum gratiarum actione sumere præcipit 1. Tim. 4. 2.

V.

n. Status
Militiæ.

Cognito jam sine Iesuitici Ordinis, ad Autorem proxima est via, de quo primò videbimus, quis fuerit antequam astro percitus de novo instituendo Religiosorum ordine cogitavit. Sic verò narrat Massæus Iesuita. l. c. 1. quòd in ea Hispaniæ regione, quæ ad Pyrenæum pertinet & vulgi sermone Gvipuzcoa nominatur, cum primis clara sit Lojoleja familia, in qua patre Bertramo, Matre v. Marina Sone, natus sit Ignatius Lojola, Esavitaram excoctor, Anno Christi 1491. quòd haud ita severâ disciplina educatus à suis fuerit, atq. ab ipsis incunabulis, ut in opulenta domo PROFANOS ADMODVM hauserit spiritus: deinde literis vix dum à limine salutatis in Ferdinandi R. Hisp. aulam à patre missus, aulicis imbutus est moribus: mox ad militiam se contulit, & quod sibi DATVM FVERAT TEMPORIS AD NEGOTIATIONEM SALVTIS aeternæ, id partim in FACTIONVM RIXAGVMq. periculis, partim in AMATO-

3.

AMATORIA velania & cæteris seculi vanitatibus consumsit. A Dei vero metu ita alienus fuit, ut vix ex Ephæbis egressus non veritus fuerit dicere, se manu suâ dextrâ (quâ gladium vibrabat aëremq; percutiebat) vel invitis Deus omnes hostes suos comminaturum: adeoq; fuit truculentus, ut quemvis obvium etiam caprinam ob lanam sibi resistentem, gladio vel hastâ transverberare fuerit ausus. Hasenmull. ex Bobadilla cap. 1. hist. ord. Es.

VI.

Hic te, bone lector, cogitare statim convenit: malum esse ovum & malum etiam pullum Ej. 59. 5: & illud Scriv. Matth. 7. 18. cū d'uvæ-
του δ' ἐνδ' ἑσῶ σαπρὸν καὶ ὄξος καλοῦς ποιεῖν: & numquid de spinis colligunt uvæ & de tribulis ficus? & aliud ejusdem: non est discipulus supra præceptorem: sufficit discipulo, ut sit sicut præceptor ipsius Matth. 10. 24. Sed bene res habet: dignum fronte operculum. Properabimus nos ad in-
versionem Lojola, quæ talis fuit teste Mass. l. i. c. 2.

VII.

A. C. 1521. ardente Hispaniâ intestinis belli tumultibus Lojola, A. æ-
tatis 29. in præsidio arcis Pompejopolitanae, quæ Navarra Vasconum ca-
put est, dimicanti globi vi excussus è muro lapis lævam haud ita gra-
viter læsit tibiam, globus vero ipse subsiliens dextram adeo labefactavit
& confregit, ut è vestigio semianimis, alienatâ mente corruerit: Cùm
verò morbus postea majorem in modum esset auctus, & signa in eo con-
spicerentur lethalia, adeoq; Medici prorsus de illo actum esse adfirmarēt:
suorum admonitu. Sacris, quæ ad expiandum animum pertinent, ritè
procuratis: ipse B. Petri per vigilio & nocte decretoriâ per quietem ad
se vidit advenientem Petrum, optatamq; sibi valetudinem divinitus ad-
ferentem. Et addit. Jesuita, fructum eum tum primùm pietatis suæ,
(quæ nulla fuit) cepisse: siquidem præcipuo quodam cultu Apostolum
illum jamdudum fuerit veneratus, & militari quadam cantiuncula
Hispaniâ cum celebrârit: Sed facile cogitatu est, quisnam fuerit ille
Petrus, qui Lojola aparuit, & prima pietatis fundamenta in illo jacuit,
nempe Pseudopetrus, ille tenbrarum Princeps, qui & Saulo sub Samue-
lis habitu ementito visus est 1. Sam. 28. 14. Mortui enim ad miseras
vitæ hujus non redeunt, & chasma magnum est constitutum, ut iis, qui
velint hinc transire ad nos, non possint, neq; istinc huc transire Luc. 16.
26. Quid? quod apertè à somniis debortetur nos Domino, nè illis attenda-

2 Status
Conversio
onis.



mus: eosq; se veriter damnat, qui ejusmodi nocturnas apparitiones jacti-
tant Jerem. 23. 28. Somnia enim vana sunt, & sine mendacio præ-
stabitur lex Domini, oriq; veraci sapientia (quæ quidem verbo Dei est
patefacta & literis consignata) perfectio est Eccles. 34. 8. Deut. 13. Jerem.
23. 16.

IIX.

Maff. I. i.
C. 2.

Mira verò est ratio mediæ illius, quo ad Christum pervenisse scribi-
tur: Cum enim affixus lectulo profanum quempiam librum poposcisset,
ex iis, quos antea per otium lectitare consueverat, nec ullus eo tempore
domi esset liber ejusmodi, porrecti ei sunt duo alii Dominici & Franci-
sci, in quibus lugenda sanctorum magnâ congerie erant inscripta: Dum
verò fabellas istas quasi aliud agens variis in locis delibat, secum ita
deliberare cepit: quid si hoc præclarum Dominici facinus, quid si hoc
Francisci aggrediar? Hæc verò non sunt legitima illa & à Deo ordinata
media conversionis nostræ, sed verbum Dei est potentia Dei ad salutem
omni credenti Rom. 1. 16. & c. 10. 17. Tantum tamen ex lectione ista pro-
fecit Lojola, ut occulto quodam instinctu impelleretur ad asperitatem
vitæ & voluntariam corporis ad afflictionem: quocirca jam tum agitabat
animo, nudis pedibus Hierosolymam petere & frequenti verberatione,
longoq; jejunio peccatorum pœnas ultrò suscipere, & ardens divinæ
gratiæ studium. PROMERERI. Atq; ita infelix hic homo sufficientissi-
mam illam satisfactionem, quam pro culpa & pœnis tam corporalibus
quàm spiritualibus omnium peccatorum Mundi plenissimè persolvit
Christus, horrendum sanè in modum contumeliosè labefactat, & pro suis
peccatis infinito Deo. ἄριστον persolvere se posse confidit. Contra quàm
Scriptura adfirmat. Es. 35. 1. Joh. 2. 2. Ebr. 10. 14. 1. Tim. 2. 5. Es. 63. 3. Colos.
1. 20. Non toleranda etiam est illa in homine, nè dum Christiano, qualem
se ferebat Ignatius, ferina illa consuetudo, quæ in cultu voluntario &
submissione animi corpori non parcitur, sed in propriam carnem servi-
tur, quam tamen quisq; tenetur diligere Ephes. 5. 29. Colos. 2. 23. Rom. 13.
14. & Baaliticos sacerdotes imitantur Lojolita, non verò Eliam Pro-
phetam. 1. Reg. 18. 28. multò verò minus Christo & Apostolis tale quid
in usu positum fuisse unquam vixi legituram: & in uniuersum pu-
gnat ista excarnificatio cum præcepto Decalogi septimo: non occides.

IX.

Notandū etiam est, quod Iesuita Maffeus adjungit, Mariam Dei ge-
nitricem augustissimâ facie & beatissimo lumine patri huic Sanctiss. appa-
ruisse

5.
fuisse una cum parvulo IESU & aliquandiu incredibili benignitate
spectandam se praeuisse: quod visio omnium quae apud Mortales prima
putantur odium & fastidium derepente concepisse fingitur Lojola, ut ab
ea hora ad extremum usque spiritum castitatis integritatem conservavit,
ut Ribadeneira garrat l. 1. c. 2. & nullam deinde quamvis PRAEFER-
VIDVS NATVRA, senserit carnis libidinem Mass. l. 3. c. 8. forte an castitatis
quoddam cingulum habuit iste Propheta, quali se donatum esse ab Angelo
de caelo misso mentitus est Beroaldus Pater: cuius cinguli reliquias du-
bio procul aut nullas aut exiguas apud modernos Iesuitas cernere est.
Hafenmull. hist. Iesuit. c. 6. de voto castit.

X.

Sed tu in medium nobis prodi Beatissime Paule, & tuam nobis sen-
tentiam explana, quid post raptum tuum in tertium usque caelum, qui ve-
rissimus est, ubi vidisti & audisti ἀπέκτα ἔμματα, de carne tua conque-
raris: Satis vero copiose illud fecisti in epistola tua ad Romanos c. 7. ubi
inter alia exclamas: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis
hujus? & video aliam legem in membris meis & c. Sed B. Paulum aded
felicem esse non contigit, qualis noster fuit Lojola, Antichristiana im-
pietatis propugnator primarius.

XI.

Addit superiori mendacio crassius aliud Ribad. l. 1. c. 7. quod nimi-
rum, cum Ignatius preces ad Mariae imaginem fudisset, conclave ter-
ra motu fuerit concussum, quod item de Apostolis dicitur Act. c. 2. v. 2.
& c. 16. 26. immo vero non semel aparuit Sanctissimo viro huic Mariae
virgo, sed multoties Hierosolymae, non procul a Patavio, & aliis in lo-
cis: Sic quidem circa Lojolam unice fuit occupata. Sed nemini videri ^{Hafenmull}
novum debet, quod Ignatius divinas apparitiones finxerit. Hoc enim ^{cap. 1.}
alii novarum & impiarum rerum Autores factitarunt. Sic olim Mahu-
metes Turcarum sator, Angelorum consortium: Sic eodem hoc anno
Storch Anabaptisticae factionis autor & cum eo Cellarius, Carlostadius ^{Steid. 1.3.}
& alij profani homines, qui se Illuminatos & Coelestes Prophetas (ve- ^{A. C. 1512}
rius scelestos) nuncupabant, tumultuari coeperunt, contra quos gravis-
sime ex DEI verbo scripsit Lutherus, & illorum figmenta & cogitationes
cordis nervose refutavit in libro proprio.

XII.

Sed nondum finis est mirabilium visionum. Cum enim religionis
causa

causa adem D. Pauli peteret Ignatius & ad Rubricatum annum, qui Minoreffam Vasionum oppidum interfuit, confisteret, nec opinanti repente diuina quaedam oborta est lux tanta tamq. mirifica, ut momento penè temporis nullo Magistro quàm plurima clarè perspexerit non solum de fidei Christiana mysteriis, sed etiam de aliis subtilissimis Philosophorum quaestionibus, quae post multam accuratamq. lectionem & maximos labores atq. vigiliis vix solent homines comprehendere. Mass. l. 1. c. 7. quid? quod quodam die, dum B. Virgini psallit per apposita quaedam & maximè illustra symbola ipsius Trinitatis augustissimum Numen conspexit distinctum personis, unum essentiâ. O verè te totum mendacis consutum, qui Deum, qui lucem habitat inaccessam & quem homo videre non potest ac viuere 1. Tim. 6. 16. Ioh. 1. 18. Iud. 13. 22. Es. 6. 5. quiq. Mosi familiarissimo suo posteriora sua vix adspicienda dedit, Ex. 33. 20. intueri te posse unum in essentiâ, trinum in personis, blasphemè jabbitas?

XIII.

Quia verò pudoris septa semel mentiendo puætegressus est Lojola, idcirco grauitè impudentem eum esse decet. Oblatum sibi etiam esse modum quem in hujus vniuersitatis creatione summus ille Opifex tenuit, homo ad miraculum usq. impius fingere ausus fuit. Adde quod Minoreffæ cum à sacerdote hostia eleuaretur, apertissimè se vidisse gloriatus sit illâ specie Christum, Deum eundem & hominem, verissimè contineri Mass. l. 1. c. 7. & quidem totum octiduum ecstasi fuit occupatus Lojola, quò homines eum tanquam mortuum sepeliissent, nisi latentem in eo vitam ex tenui cordis palpitatione sensissent.

XIIII.

Ex his verò & id genus aliis fictis apparitionibus & Diabolicis illusionibus suum exstruxit ordinem & dogmata, quod non dissimulat Iesuita Mass. l. 1. c. 7. cum ait: tantum in veritate hisce visionibus fuisse confirmatum Lojolam, ut si exstitissent nulla Christiana religionis monimenta vel testimonia, nequaquam tamen dubitasset, ex iis tantum quae Deo sibi aperiente cognorat, mortem pro veritate Catholicae religionis oppetere: cum tamen ad legem & testimonium nos reuocet DEVS Es. 8. 20. & de scriptura diuinitus inspirata dicit Apostolus, quod ILLA reddat hominem DEI perfectum, ad omne bonum opus perfectè instructum, 2. Tim. 3. 16. & ab hac nec ad dextram nec ad sinistram latum pedè sit deflectendum Deut. 12. 32.

Insupe

LXV.

Insuper profani Lojola spiritus, quos ante conversionem habuit, **Maff. lib. 1. cap. 3.** nullam quantumvis exactissimam hypocrisis tegi & occultari semper poterunt. Cum enim in itinere ad montem ferratum Maurum vel Sarracenum aliquem habuisset comitem, qui Mariam virginitatem ante partum quidem fateretur integram, post partum vero negaret: paulum absuit a Lojola, quin pugione Maurum confoderet: cumq; pervenisset ad pagum, in quo Maurum divertisse sciebat, & ad bivium staret, motu corporis atq; animi varius Lojola, hominemne persequi, an omittere deberet: mox laxatis mulam habentis, quam vehebatur, ita de tota re interpretari cepit, ut si bestia ipsa per se Mauri vestigiis insisteret, non dubitaret, quin accepta futura esset ultio divinae Majestati: sin minus, pro certo putaret, nequaquam id officij Deum aut B. Virginem postulare. Sed mulus ipse Ignatius, & Magister Israëlis, non sciebat, a Mulo non esse quaerenda vaticinia & viam, quam ambulemus, sed ab ore Dei, qui nobiscum in scriptura loquitur 2. Pet. 1. 20.

LXVI.

Conversionem Lojola insecuta sunt: 1. **Habitus mutatio:** Non preciosa vestimenta, quibus erat ornatus, quam in occultissimè potuit, pannoso cuidam ex infima plebe largitus est, qui ex insolito habitu a Magistratu loci illius in vincula conjectus non parum absuit quin patibulo suspenderetur: atq; ita miser Lojola nec benefacere quidem sine alterius damno & discrimine potuit; Nihilo tamen minus in proposito suo fixus permansit & confestim sacco sese induit ac fune praecinxit: dextro pede, quod ex reliquiis morbi singulis noctibus intumesceret, sparteum indaxit calceum: sinistrum vero reliquit nudum & capite item nudo incedere decrevit. **Maff. l. 1. c. 3. & 4.** tornatilem etiam adsumsit baculum, & in usum aquae cucurbitulam. Capillum, quem pro eius seculi more impensius comere curareque consueverat, reliquit impexum & squallidum, quin etiam ungues ipsi excreverunt per diuturnam incuriam **Maf. cap. 5.** ut sic ipso habitu corporis aestimare possis, eundem non tam corporis pati adstrictionem, quam mentis exsilium, cum talem tibi se penè sistat, qualem describit Daniel Regem Nebucdonos. temporibus suis septem, **Dan. 5. 30.**

XVII.

Flagella. Nec habitum mutavit saltim, sed & severissimas castigationes, & frequentissimas flagellationes suscepit ausu spontaneo. Nam cum Barcinonem peteret, famulum, dimisit, quò liberius remotis arbitris in suum se vire corpus posset. Mass. c. 3. ac aucto postea supplicio singulis diebus ter flagellis sese acerrimè cecidit c. 5. singulis v. noctibus pœnæ se nomine flagellis excarnificavit c. 3. quibus addidit indefessum Jeiuniorum exercitium, quod ad septimum usq; diem (si credere fas est) aliquando extendit, extendissetq; porro, nisi Sacerdos prohibuisset: In ipso verò cibatu simplici pane erat contentus, ac ubi sitis urgebat, aquâ profluenta, cap. 5. & 6. ut sic in omnibus videas egregium Phariseum, Luc. 18. qui se ipsum justificat, nisi quod hic noster multò est illo ardentior, qui bis in septimana jeiunavit, Lojola verò sex dies in jeiuniis consumpsit.

Jejunia.

XIX.

Confessio.

Confessionis officium, quò delictorum omnium recitationem fieri vult pontifex Romanus, singulari devotione coluit. In monte serrato enim templum ingressus per triduum confessionem peregit de scripto omnium eorum, quæ per totam vitam egerat, & cum eodem Patre, cui peccata sua aperuerat, communicavit consilia & cogitationes de imitatione Sanctorum: ibidemque loci totam noctem transegit ante aram B. Virginis modò stans modò genibus nixus cap. 4. cum verò deinde multæ ei obijcerentur scrupulorum molestiæ & tentationes, dubitaretque secum, quidquamne omisisset quod ad integram criminum accusationem attineret, & an rectè confessionem in Monte serrato peregisset? ibi vero Minoressæ cuiusdam concionatoris monitu totius vitæ noxas, quotquot in memoriam revocare potuit, in libellum relatas, denuò quàm accuratissime quod prius fecit, explicuit. Sed quod sibi adjumento putabat, id erat ei maximè contrarium: siquidem in ipsa commemoratione rerum, quas aliquando oblivisci oportuerat, fiebat ut etiam si quid eadè mitigatum fuerat, recrudesceret. Mass. cap. 5. & cum tertiam Confessionem pari modo adornare vellet, judicavit, priores duas sibi non modò non profuisse, sed etiam nocuisse c. 6. Atq; hæc sunt verba Lojolæ Mass. de Confessione Lojolæ.

XIX.

Vides, bone Lector, Confessionis Papisicæ fructum non penitendum,

9.

dum, qui scala est certissima ad aeternam desperationem. Quod si enim fratri in te peccanti septuagies septies ignoscendum est Matth. 18.22. & delicta sua nemo intelligat, adeoq; de occultis suis liberari se petat David Psal. 19. 13. utiq; quis sine dubitationis & qua hujus est comes asidua, desperationis infelicissimæ periculo ausit confiteri Sacerdoti peccata sua, quæ uno non dicam anno sed die commiserit, sed etiam omnes peccatorum circumstantias, quas quidem requirunt versiculi Pontificij vulgares:

Quis: quid: ubi: per quos: quoties: cur: quomodo: quando
Peccaris, dices, ut sit confessio V E R A.

Et probè hoc est notandum, quod istis tentationum fluctibus & angustia jactatus Ignatius ad luctus miseriasq; finiendas è fenestra cubiculi Mass. lib. 1. PRAECIPITEM SE DARE cogita-verit: Nam & inter reli- cap. 6.
qua dubitavit, Nè in-visa Christo sua essent studia: & merito dubitavit. Destituebatur enim verbo Dei & legitima vocatione, quæ tamen est nervus actionum nostrarum, & ad illum rectissimè potest accommodari illa Dei querela de Pseudoprophetis: currebant, & non mittebam eos, loquebantur & non præcipiebam Ierem. 23.21. Ezech. 13. Ebr. 5.4.

X X.

Expeditis ijs, quæ de Ignatij conversione dici debebant, ad eius itine- 3. Peregrina-
nera nos jam accingemus, quæ ordinis gratia in Hierosolymitana, Hispana-
nica, Italica, Gallica, dispesci possunt. Cùm enim sibi proposuisset Hiero- nationes
solymam petere, non tam ut Christi Domini incunabula cerneret, quàm Lojolana.
ut in convertendis Sarracenis operam locaret, vel certè Martyrij pal-
mam, cuius erat avidissimus, acquireret Mass. lib. 1. cap. 11. dissuaden-
tibus omnibus non modò sine viatico sed etiam sine comite ingredi iter
ausus fuit, ut scilicet spei, quam in uno Deo locasset, haberet exerciti-
um. Quare hoc consilio sub initium A. C. 1523. Barcinonem venit, ubi
Isabella Rosella, quæ cæcum domi habebat virum, cùm è loco superiore
ad populum verba facientem audiret aliquem Monachum, ibi inter
pueros assidentem conspexit nostrum Lojolam in gradibus Altaris, cujus
caput (scilicet) circumquaque fulgebat, & clarissimos emittebat radi-
os: Ideò domum eum ad se accersivit. Ribad. lib. 1. cap. 10. Mass. lib. 3.
cap. 14. Sed qui fuerint radij Lojolani, longà divinatione non indiget,
cùm ab illa muliere sola fuerint conspecti, quæ cæcum domi habebat
virum.

B 2

21. 173



XXI.

In navigatione sua Italiam versus à Navarcho sine etiam perfo-
 luto naulo receptus est eà tamen conditione, ut nautici saltem panis
 quod erat necessarium navim secum inferret: paucos verò numos,
 quos ab ISABELLA acceperat, in littore reliquit: deinde solutis ancho-
 ris Cajetam delatus Romam iter pedibus intendit, in quam cum venisset,
 religiosissima quæque loca obiit, atq; Adriano PONT. OPT. MAX. pedes
 fuit osculatus. Inde Venetias petijt, numosque aureos, quibus Romæ
 ab Amicis instructus fuerat, obviis pauperibus distribuit. Cum verò fœ-
 da lues atq; contagio multis in locis tum sæviret, atq; dispositi custodes a-
 ditus locorum diligenter custodirent neq; facilis esset in urbem Venetia-
 rum ingressus. Ibi verò Christus denuò Lojolæ visendum se obtulit,
 eumque Venetas sine ullo errore aut difficultate perduxit, ut à nullis ex-
 ploratoribus fuerit nè quidem appellatus Mas. l. i. c. 12. Magum certè fu-
 isse oportet Lojolam, qui oculos exploratorum adeò potuerit eludere, ut
 à nemine conspiceretur.

XXII.

Venetis autem cum in area Marciana in vacuo cujusdam opificis
 fulcro noctem exigeret Ignatius, ibi vicinus quidam senator M. Ant-
 Trivisanus excitatus increpitusq; quòd in multa veste molliq; strato
 decumberet ipse, cum interim DEI famulus peregrinus non longè ab hinc
 jaceret in publico pauper et omni solatio destitutus: Ibi ingenti metu
 senator persusus confestim prosiluit et sanctum DEI servum Ignatium
 perhonorificè hospitio excepit Mas. l. 13. c. 12. Prætorianà deinde navim per-
 ductus in Cyprum, inde in Palestinam nihilo plus viatici secum intulit,
 quàm prius intulerat, Christo videlicet uno fretus, qui sese in illa na-
 vigatione non semel Lojolæ ostendit, Mas. c. 13.

XXIII.

In Palestina pedem figere et convertendis Infidelibus operam dare
 constituerat, nisi à Provinciali Monasterij Franciscani ibidem locorum
 fuisset prohibitus cum interminatione hac, quod si invitus remansisset,
 sacris ei vellet interdicare: cumq; licentiosius di-vageretur, et periculum
 esset, nè à Turcis caperetur: idcirco minis et fustibus compultus est, ut
 navim ingrederetur, et Cyprum rediret: interibi denuò Christum præ-
 sentem se vidisse fabulatus est, Mas. c. 14.

EX.

XXIV.

Ex ista sua peregrinatione egregium istum & notabilem tulit fructum, quod in monte Oliuetti, in quo vestigia Christi in caelum adscendentis apparere dicuntur, diligenter animadvertit, vtrâ ex caeli plaga dextrum, vtrâ sinistrum esset Christi vestigium, atq; sic minutissima quaevis adnotauit intentissimè, ut nè locus in posterum dubitationi ullus apud eum esset Mass. c. 14. Egregiam verò laudem spoliūq; reportat Lojola, ut multum terris jactatur & alto.

XXV.

E Cypro cum Venetias iret nauis non bene valida & ventis ac fluctibus seruentibus, ac duae aliae, quae Lojolam gratis abiturientem repudiassent, naufragium passae fuissent, illa quae uehebatur, salua permansit: Lojola v. nauem conscenderat studio paupertatis nudis cruribus, hyeme seruiente, femoralibus tantum estela, concisaq; ad humeros aplojde ac scissili tunica semicinctus, cum è caelo densa caderet nix, ac tristi gelu omnia horrerent: quae eadem paupertate Ferrariae inclaruit, ubi nummos suos omnes, quibus ab Hospite Cantabro donatus fuerat, pauperibus distribuit, ut sibi deinde eodie ad cibum capiendum ostiatim emendicare necessum fuerit: quare stupefacti pauperes SANCTVM SANCTVM IGNATIVM proclamauerunt: mysterium certè futurum, si rex Sancti vocem ingeminaissent. Mas. l. i. c. 15.

XXVI.

In itinere Gallico cum a bonis viris admoneretur, ut à regia via declinaret nè in stativa militum Gallicorum incideret: ille ausu plusquam temerario recta nihilominus perrexit ire, ut imitaretur patientiam Christi in accipiendis flagris: Nec caruit temerarium illud periculum sua poena, à militibus enim comprehensus pugnis & fustibus acriter contunditur: quae tamen omnia pro martyriis ducebat, quasi verò pericula sponte accersita martyrium sint, cum gravissimè Deus illis tentetur D. u. 6. 16. Matth. 4. 6: Nec dissimulare tum potuit animi sui fastum & superbiam Lojola, qua coram praefecto militum nè quidem caput aperuit, & multa & varia sciscitanti nullam omnino reddere vocem dignatus sit: cum tamen longè aliter nos instruat Apostolus Rom. 13. 1. Pet. 2. 17.

XXVII.

Nunc in Hispanias Patriam suam redierat noster Socius, annis & hypocrisi-

4. Vite Lojola cur- sus, qui est studiosus.



hypocriticâ similitate auctior: cumq; animum illius subiret, quodnam inde vitæ sectaretur iter: constituit primò cœnobium ingredi **MAXIME DISSOLVTVM** (Simile quippe simili gaudet): in eam deinde concessit sententiam, quòd operam suam nequaquam intra unius familiæ cancellos includere, sed quòd socios aliquot idoneos sibi adungere: ad Spiritus Sancti unctiõnem doctrinæ quoq; subsidium & literarum cognitio- nem comparare, atq; ita novum Monachorum ordinem (sine ulla voca- tione & iussu ordinario) excoquere vellet. Ergò anno AEt. 33. Barcino- nem, ubi habebat Rosellam cæci illius uxorem feminam primariam, quæ ad quotidianos usus ei operam suam detulerat, primùm abiit: Ardebalo Ludimagistro sese in disciplinam dedit, & elementarius fieri cœpit: atq; inter spinosa Grammatices rudimenta, nominumq; & verborum infle- xiones maximo erat ei impedimento vox **AMANDI**: & hinc fiebat, ut non solùm nihil novi edisceret, sed quod antea erat impressum, id ipsum concursu no-varum imaginum nempe amatoriarum deleteretur Mas. l. 1. c. 16. tantos scilicet egerat radices in illius animo uxor viri illius cæci. In ista sua militiâ Scholasticâ nè quid de humilitate & paupertate remitte- ret Lojola, non quidem ad saccum redijt, sed suos calceos ita perforavit, ut soleis paulatim magis magisque, disceptis hyeme jam seruiente humi plantis incederet.

XXIIX.

Barcinone dum fuit, duo f. atres de patrimonio litigant. Vbi v. à iudicibus lata sententia, is qui causâ ceciderat præ nimio dolere è cubi- culo laqueo se suspendit: eâ re cognitâ Ignatiõ confestim ad volavit pen- dentem à sigillo restem cecidi, hominem vel cada ver potius collocari ju- bet in lectulo: deindè seorsim nixus genibus pro salute ipsius Deum ora- re non desistit. Res mira. Miser ille repente sustulit oculos, vocisq; & sum- eatenus duntaxat recepit, quo ad sacerdoti peccata rucè erat confessus. Mas. l. 3. c. 14. Sed veritas est Iesuitica.

XXIX.

Barcinone relicta, cum quatuor sociis, quos sibi adijxit, Complutum abiit, & artium ibi curriculum non felici successu inuit. Nam præposterâ festinatione nullo ser-uato vel ordine vel discrimine multa & varia uno eodemq; tempore aggressus est, ut refert Mas. l. 1. c. 17. ibidemq; loci non ipse ex mendicatione vivebat solùm, sed & alios cleemosynis à se conquisitis subleuabat; ipsumq; docendi munus & in Scholasticorum cir- culis

culis & in triviis invasit: quâ de re suspectus Lutheranismi Lojola ab Inquisitoribus Tolctanis mandatur Archiepiscopo Complutensi, qui in doctrinam hujus Spiritus inquirat: ibi totum illi præfigitur quadriennium cognoscendæ S. Theologiæ, ante quod exactum spatium de fidei Christianæ mysteriis ad populû verba nê faciat. Iudicârunt enim cordati illi viri, hominem per se oasione spiritali & illuminationib; simulatis temulentum in suggestu tolerari non debere. XXX.

Cùm verò Lojola à docendi munere desistere nollet, Salmanticæ, ubi postea vinebat, à Vicario Cœnobii Francisc. fuit examinatus, unde suam hausisset cognitionem, quâ per se vasus populum erudiret: ac cùm neq; à Magistris & literis neq; à Spiritu sancto habere se, constanter asseverare posset, taciturnitate suâ veniam se consequi posse speravit: Sed in carcerem squallidum cum sociis coniectus est, in quo cùm viginti & unum dies desedisset, tandem fuit emissus, ac quadriennium in Theologiæ Studio denuò ei fuit imperatum Mas. l. 1. c. 17.

XXXI.

Ergo ubi videbat, consiliis & molitionibus suis omnes in Patria fo- A. C. 1528. res præcludi, ad Scholas se Parisienses in Galliam contulit, ubi ob suam novitatem & ejus linguæ inscitiam minus negotij sibi fore putavit. Itaq; onustum libris Asellum, Asinus ipse præ se agebat: & Lutetiæ Parisiorum in collegio Montis acuti inter procacium puerorum gregem Grammatices rudimenta repetijt, viaticum & sumtus partim in parato, partim in nominibus porrigente Isabella Rosella, quæ viri hujus radios Barcinone viderat, Mas. l. 1. c. 18. eumq; variâ ibi fortuna usus triennium & menses sex consumsisset, Decano Pennâ Philosopho Lauro coronabatur: inde ad Theologiæ castra transit, atq; ex Patrum decretis & autoritate fidei suæ rationem didicit. Mas. l. 1. c. 19. Silent enim in Pontificatu biblia & verbum Dei, & doctrinis hominum onerantur animi discantium ut præter Patrum placita & conciliorum decreta nihil sciant: quod in omnibus Lojolanis, quorum magnum fouet numerû ætas nostra, liquido apparet.

XXLI.

Parisiis iterum ad Inquisitionē deuenit Ignatius, & parum absuit, quin à Professoribus Scholæ illius virgis publicè caderetur Mas. c. 20. l. 1. quia v. mirum atq; efficax in illo fuit studium ad animos hominû demerēdos, & in Principû animos, sese instruare, eosdēq; obsequio & submissione tueri, eorūq; quib; cū vinebat ageret vè vel difficultatē naturæ vel arrogans.

arrogantiam perpeti, vel ineptias ac stultitiam ex sorbere DISSIMULATIONE MIRABILI, atq; ad aliorum arbitrium ac voluntatem SEMPER accommodare se ac flectere probè noverat Ignatius, idcirco facile invenit socios, quorum Novem Parisiis sese illi adglutinarunt: in quibus nullus fuit, quin præter cæteram abstinenciam & carnificia voluntaria TRIDVI, UT MINIMUM TOTIVS INEDIAM sponte pertulerit: qui A. C. 1534. in æde suburbana, quæ mons Martyrum dicitur, Parisiis sub Confessionis & Eucharistiæ ministerium votis in vicem sese obstrinxerunt adeundæ Hierosolymæ, ut vel converterent Sarracenos vel Martyrij coronam nanciscerentur, quod refert Maff. l. 1. c. 21.

XXXIII.

Gravi & difficili morbo correptus Lojola de patria repetenda cogitavit: atq; ubi sociis Gallicanis tempus edixisset, quo navigaturi Hierosolymas Italiam peterent, ipse in Hispaniam equo vehitur, ubi phanatico planè morè in agro populo ad se commeanti concionatus est, populo interim arbores audiendæ causa conscendente, Maff. l. 2. c. 1. atq; sic quadriennium suum in Theologia toties illi impositum implere non potuit.

XXXIV.

Relicta Hispania redit Venetias, ubi dum socios præstolatur, denuò sub Inquisitionis rigorem cadit: Socij reliquis omnibus præter Viaticum & scripta sua distributis baculo innixi pedibus viam capeunt per Germaniam, Rosaria palàm è collo gestantes suspensa: publicumq; ingressi hospitium nixi omnes genibus Deo gratias agebant: quotidie Missam peragentes: tandem A. 1537. Venetias ingressi suum offendunt Idolum IG. LOIOL. Præter reliqua verò quæ Venetiis egerunt, præ mira sanctitate nè vilissima quidem ac servilia defugere ministeria: Sternere lectulos, everrere sordes, purgare Scaphia, ipsaq; defunctorum cada vera humi condere solebant. Præcipuè quoq; Xaverij (qui in India miraculis falsis postea inclaruit) hypocrisis mira fuit: Nam manantem saniem ex ulceribus Gallici morbi, exsuxisse scribitur: qua re propriam quandam & perpetuam in Elephantiacos atq; ulcerosos virtutem est consecutus. Aliis ex sociis leprosum secum in lectum assumptum, qui postridie in cute illæsus intactus apparuit, Maff. l. 2. c. 3. de Mendaciorum plaustra?

XXXV.

Alius ex sociis in lectum Phthiriaci audacter ingressus ingentes pediculo.

diculorum greges eâ nocte parvit, dignus ceriè qui pecus istud semper a-
leret: summam verò socij omnes more CATHOLICO jeiunan-
tes, & alicubi aqua pectore tenus pertingente iter facientes uno die mil-
lia passuum fermè triginta (septem nimirum milliaria Germanica cum
dimidio) nudis pedibus peregerunt Mass. l. 2. c. 3. NB.

XXXVI.

Ardente bello inter Venetos & Solymanum Turcam, Compagnia Ie-
suitica iter sibi propositum in Palæstinam continuare non poterat: qua-
re Venetijs initiati in varia loca dispersi sunt: atque in tri-vijs plateisq;
pro ut cuique locus obtigerat, desumpto ex aliqua fortè officina scamno
pro suggestu utebantur: populum elatâ voce & in Gyrum acto supra
verticem pileo (Empiricorum in morem) ad concionem in-utabant:
sermo ex varijs linguis erat mistus ac minimè proprius Mass. l. 2. capi-
te. 4. 5. Status
vitæ Loio-
lanæ con-
cionatori-
us.

XXXVII.

Et quoniam navigationi ulteriori supersedere jam certi erant, id-
circo Ignatio & duobus alijs injunctum fuit, Romam irent, & Pont.
Rom. sediq; Apostolicæ studia ac vota sua exponerent, adeoq; Romano
Pontifici obsequio se manciparent: reliquis interim Pata-vij, Ferraria,
Bononia & Senis eadem ferè ratione, quâ Vicetia usi fuerant, concio-
nantibus Mass. l. 2. c. 5. Ignatio, quo die primùm Romam accessit in pri-
mitivam suam ecclesiam restituto (hic enim erat religiosus ipsius jocus)
clarissimâ luce Deus pater IESV filio bajulanti crucem & crudelissimis
affecto supplicijs Ignatium sociosq; commendat: quos ille cùm recepisset,
ad Ignatium & socios hæc est profatus verba: EGO VOBIS ROMAE
PROFITIVS ERO. Atq; hæc visio causa fuit, cur Ignatius Sectæ suæ
nomen IESVITARVM indiderit: quam tamen postea ex nimia humi-
litate verbo scriptoq; MINIMAM appellare solitus est Mass. l. 2. c. 5.
Quis verò fuerit ille Deus & quis filius, cui Loiolani commendati sunt,
id ostendit Christus Ioh. 8. 44. dum ait: qui loquitur mendacium, est ex
patre Diabolo, qui homicida & mendax est ab initio. Nam Deum ne-
mo habet Patrem nec Christum fratrem, qui Antichristum agnoscit ma-
trem, eiusque familiæ sese adglutinat, ex qua Dominus exire iubet,
Apoc. 18. 5.

XXXIIX.

Romæ dum fuit Ignatius consensu monte Gasinate Hozij socij sui
C Animans



Animam luce clarissimâ radiantem deducantibus Angelis in sublime ferri atq; ipsa de mum cali regna conscendere vidit Mass. l. 2. c. 6. Atqui verò credere te orportet, animas à corporibus solutas oculis humanis esse obvias. Sed supra hominum sortem, si D I S placet, fuit nosster hypocrita, qui & paulò post in Missæ introitu omnes vidit Sanctos (nemine excepto, numeravit enim) & in iis suum Hozius eximio fulgore micantem, qui tamen Hozius ante obitum subniger ac deformi vultu fuit conspectus, ex quo nò dubias vitæ antè actæ noxas aestimare licet. In ejus tamen demortui facie mox tantus derepentè nitor & venustas apparuit, ut eo spectaculo Codarius animum exsaturare non posset. O gerræ Siculæ? Mass. l. 2. c. 6.

XXIX.

6 Caput
de pr efer-
ctura Ge-
nerali I gna
ti, Loiola.

Haectenus rude tantum chaos & delineationem societatis Lojoliti-
cæ vidimus: nondum enim sub certis & propriis legibus ac Magistratu
socij coi-verant, sed communibus tantum officiis inter se utebantur, quos
fundamenti vicem tenuerunt societatis confirmandæ: Nunc porro indi-
cabitur, quomodo societas ipsa sit plenè constituta, & Patres cum junio-
ribus in unum corpus confluxerint. Primum ergò Lojolani nocte primâ
suis consultationibus destinata convenientes decernunt, de mutua inter
se alendâ concordia, quâ animorum conspiratione & meritorum com-
munionem deberent esse coniuncti Mass. l. 2. c. 9. Sed unitatis illud vin-
culum probandum non est, quia in Deo unum non sunt, quod tamen
Christus flagitat Ioh. 17. 21. quod inde est manifestum, quia omnia sua
consilia & actiones ad versus Dominum & ejus Christum suscipiunt,
Act. 4. 26. Ps. 2. & veritatem Evangelicam & verè Catholicam procul-
cant, eiusq; Confessoribus nefarium bellum indicunt.

XL.

Secundo conventu nocturno constitutum fuit ut ad duo vota paro-
pertatis spontaneæ & castitatis Angelicæ tertium adiungerent perpetuam
obedientiam: quod votum sapientem & sanctam STULTITIAM CAE-
CAE obed. nominare solebant: idq; sine ratione & iudicio præstari debe-
bat Mass. l. 3. c. 7. ubi quis ad solum superioris nutum imaginem præ se
ferre debet cæci statuæ, cada veris, ceræ, baculi & mortui: & nullatenus
quærat utrum id, quod iubetur, sit utile vel inutile, possibile vel im-
possibile, sed simpliciter obtemperet. Hasenmull. c. 6. de voto ob. Sed in
genere de his votis sentiendum est, quòd sint supra vires humanas, &
certo verbo atq; promissionibus divinis destituantur, ideoq; ex fide non
prover.

proveniant, idcirco vana & stulta sint, imò impia, & illa Christi regulà
communissimà damnantur: frustra me colunt mādatis hominum, Matth.
15. & D. Apostolus non vult, ut miseris conscientis iniiciatur laqueus
1. Cor. 7. 35.

XLI.

Cuinam verò obedientiam suam Lojolani devouere sint animati,
clare docet Mass. l. 2. c. 9. ei nimirum, cui omnes in terris tanquam Chri-
sti vicario parerent, cuius in verba jurarent, cuius deniq; sibi nutum
ac voluntatem instar divini cuiusdam Oraculi ducerent: Pontifici ni-
mirum Romano Antichristo teterrimo, qui se supra omne id quod Deus
dicitur extollit 2. Thes. 2. 4. facit pro arbitrio suo omnia Dan. 11. 36. qui
contra Pauli epistolas & verbum Dei dispensare praesumit: cui dicen-
dum non est: Domine Papa quid facis? cui & egregie adhuc serviunt,
suorumq; peccatorum mensuram perfecte adimplent.

XLII.

Pontificis R. simulacrum est Generalis illorum, quem sessione III.
excogitarunt Mass. l. 2. c. 9. eadem simul nocte addiderunt tribus suis vo-
tis quartum quo Professi adstringuntur, quòd ad quascunq; fidelium
vel infidelium terras à Pontifice mittantur, sine ulla tergi versatione ac
viatici petitione sint profecturi, quòdq; puerili aetate erudiendæ cum pri-
mis operam suam desponsaturi sint Mass. l. 2. c. 9.

XLIII.

Hæ sunt aureæ illæ leges, quibus societas constat, quas Lojola in sum-
mam redactas Paulo III. Pontifici sancendas & approbandas submitit,
quas ubi perlegit, confestim de Ignatio dixit: verè digitus Dei hic est:
Cum tribus tamen Cardinalibus rem postea cōmunicat, qui cū in Igna-
tium minimè propenso essent animo, Ignatius ipse TRIA MILLIA MIS-
SARVM per se & per amicos ad conciliandum Ordini divinum favo-
rem obtulit. Demum Pontifex A. C. 1540. Sectam & ejus nomen appro-
bavit, hac tamen lege, ut nè plures Sexaginta Socij numerarentur: quam
tamen legem post triennium abrogavit, & novellam Societatem sine nu-
mero ad augeri permisit Mass. l. 2. c. 12.

XLIV.

Præpositus in isto Collegio Generalis primus creatus fuit Ignatius,
qui cum sociis die D. Pauli sub ipsam Missam clara voce de scripto ex-
dyplomatis Pontificij formula sua vota nuncupavit. Ipse deinde

Loiola ad iacienda in tyronum animis fundamenta hypocritica humili-
tatis, in sordidis culinae ministerijs versatus est, suosque ad eos mores
adduxit, ut intra parietes Iesuiticos Angelorum in corporibus humanis
quidam convictus videretur esse Mass. l. 2. c. 13. in consilijs vero capi-
endis & rebus gerendis non pietatis guttum sed rationis ductum
praecipue sequebatur Loiola Mass. l. 3. c. 10.

XLV.

In illa sua Praefectura, ut refert Mass. l. 3. c. 1. Loiola quotidie sta-
tis temporibus adscendit superiorem aedium partem; unde liber erat ad
sidera prospectus: & aliquantisper stetit oculis in caelum defixis (en tibi
phariseum Luc. 18.) cum pro volutus in genua Deum suppliciter adora-
vit: inde scabello consedit atque continuè ex oculis uberes lacrymarum si-
ne singultu & strepitu ullo effudit rivulos: Atque in hunc modum ani-
mo & corpore immotus excepit divini luminis radios, ac patri caelesti
mira quaedam spiritus dulcedine fuit iunctus. Nugatorem pestilentis-
simum? Spiritus sanctus minime hunc animum ἀερόβαττον inspirat,
cuius illa vox est in sanctis: Domine non ambulavi in sublimibus &
mirabilibus supra me Psal. 131.

XLVI.

Visionum exstat libellus ac luminum, quae illi ferme sacrificanti ob-
venire, quo maxime tempore societatem ordinabat: quas visiones ipse-
met PIETATIS ac Memoriae causa in Ephemeridem retulit Mass. l. 3.
c. 1. Sed aut mera fuerunt ludibria Diaboli, qui in filijs tenebrarum po-
rens est, eosque cum imperio regit, vel mendacia purissima, quae quidem
Iesuitis non sunt insolita, ut ex narratione vitae Loiolanae abundè ha-
ctenus fuit animadvertum. Olim enim Deus prophetis & patribus ω-
λυμπεῶν ἢ ωλυττόπων, postremo nobis per filium locutus est, & nunc
loquitur per verbum, non per visiones, Ebr. 1. Es. 8. Rom. 10.

XLVII.

Ad commendandam pietatem & devotionem Loiolae non parum &
hoc facit, quod piacularia grana & cereas agni effigies pictasque sancto-
rum imagunculas, & id genus crepundia ita studiosè custodivit, ut in
ejus scrinio post obitum nihil ferè aliud apparuerit Mass. l. 3. c. 1. Huc
quoque referendum est, quod S. BIBLIORVM CODICEM,
NB. qui Christianis omnibus debet esse commendatissimus, in tota historia
Ies. Massaeus semel tantum apud Loiolae socios (nam de Loiola nihil tale
exstat)

19.
exstat) conspectum fuisse asserit, in itinere nempe Germanico, ubi eum
scapulis suspensum secum deportarunt simili gestamine quo exploratores
insuetæ magnitudinis utam. Num. 13. Mass. l. 2. c. 3. Hinc probate spiri-
tus Lojolanos, an ex Deo sint 1. Ioh. 4. 1.

XLIIX.

Probè tamen prospexit Clementis. Pater nostro Hypocritæ dono la-
crymarum, sic ut in singulas preces illicò fletus erumperet, tantumq; in
lacrymas obtinuit jus & imperium, ut earum quasi habenas pro ut vo-
luit, adduceret item atq; remitteret Mass. l. 3. c. 1. Dignus certè vir, qui in
Gynecæum abeat ad illum gregem, de quo poeta canit:

Ut flerent oculos erudière suos.

XLIIX.

Studio & Zelo imitandi passionem Salvatoris nostri tanto aestua-
bat, ut nisi eum cohibuisset existimationis ratio, Simulatâ dementia ad
plebem in se concitandam nudus onustusq; cornibus (Asinus cornutus)
aut alia fœdo corporis habitu assumpto in publicum non dubitasset pro-
dire: & incessantes cœno vel stercore pueros, vocesq; & omnes alias vul-
gi contumelias libentissimè pertulisset Mass. l. 3. c. 3. ô Sanctum Lojo-
lam?

L.

Atq; hæc quidem de ardore ejus in Deum: Quod ad charitatis officia
in proximum attinet, circa meretriculas & fœmininum genus præcipuè
fuit occupatus Lojola. Nam prostituta pudicitia fœminis Romæ Xenodo-
chium exstrui cura vit, in quibus aluntur istæ, quæ vel per ætatem vel
morbum Gallicum nec Veneris castra amplius sectari neq; Papæ Romano-
ensium offerre possunt, Hasenmull. c. 6. de veto pudic. quod non planè
diffidetur Mass. l. 3. c. 13. Barcinone certè cùm in Grammatices studio
versaretur, virginum quoddam Collegium solutâ admodum disciplinâ
corruptisq; moribus injussus cum sacerdote quodam cùm frequenter in-
grederetur, adeò ab aliquibus fuste acceptus fuit, ut dies aliquot in lecto
jacere necessum habuerit Mass. l. 3. c. 4. Et non sine gravi causa Isabella
Rosella, ex oculati uxor, tot in eum impensas & Barcinone & Parisiis
contulit cumq; societatem ab eo inchoatam & confirmatam fama & au-
ditione acceperat, Romam ex Hispania se contulit, & unâ cum alijs qui-
busdam pijs scilicet) fœminis SVB Ignatio Iesuitis fieri exoptavit
Mas. l. 2. c. 18.

C 3.

Tanta

LI.

NB. *Tanta etiam fuisse mansuetudinis virum Ignatium memorant Esavita, ut nullum quamvis infimæ sortis hominem stare coram se nedum aperto capite esse, pateretur, aliquandò tamen tantum Spiritus ardorem præ se tulit, ut ipsi parietes tectaq; non dubio motu nutare ac concuti viderentur Mass. l. 3. c. 6. sed forsàn lacera fuit domuncula per se: quæ ad illius viri vocem intremuit, qui longis jejuniis & spiritualibus exercitiis macie totus erat confectus. Sed condonandum aliquid est Iesuitæ, nam quis in istâ longa historæ serie erit omni ex parte beatus?*

LII.

Ocium in primis ôdit vir sanctissimus, ita ut cùm duos aut tres rei familiaris adjuutores ad januam confabulantes è superiore loco conspexisset, illicò jussit acervum lapidum in proximo situm in summam ædium contignationem sine cunctatione transferre: eosdem tertio post die cùm ibidem ociantes denuò animadvertisset, illam ipsam lapidum congeriem in eundem locum undè prius ad sporta verant, referri imperavit: egregium ocij remedium, & literis ad omnem posteritatem transmittendum, unde etiam æstimare licet, quanta necessariorum laborum mole Iesuiticus ordo alioquin occupatus sit, Mass. l. 3. c. 6.

LIII.

Bonæ verò spei ita studiosus fuit Lojola, ut nè publicâ annonæ caritate adduci potuerit in illa sua præfectura, ut contra Christi mandatum de crastino esset sollicitus: Et cùm ad sumtus quotidianos opus aliquando esset præsentî pecuniâ, Iob. Crucejo Oeconomo incertâ etiam cùm luce quidam repenti loculum auro plenum obtulit, atq; nihil effatus illicò ex ejus se conspectu eripuit: domi conspecta pecunia & materiâ & formâ proba reperta fuit. Ignatius pro eâ re gratias quidem egit Domino sed talibus jam pridem adsvetus (veneficum forsàn egit: cui hominum generi tales donationes frequenter obveniunt) nihil rei novitate motus est. Cuidam verò ex Patribus, dum in arca nescio quid exquirat, nihil opinanti venit in manus chartaceum in volucrum aureis refertum ita candidis ac si micantibus, actum primùm ex officina prodirent: id sine dubio in novis Insulis contigit, ubi magna recentis auri copia. Sed omnium fidem exsuperat hoc posterius, ubi quodam die sub vesperam cùm domi panes, vinum, ligna defecissent, præter omnium expectationem à nobili

21

nobili Matrona (sine dubio Iesuitis familiaris nota) vehes lignis onusta submititur: Ea ligna dum in cella vinaria condit Ianitor, januam domus patentem reliquit imprudens: recordatus deinde cum ad occludendam occurisset, repente MODIOS aliquot FRUMENTI & VINI CADOS in ipso vestibulo reperit, neque adhibita quanta vis diligentia unquam resciri potuit, quis ea dona misisset Mass. l. 3. c. 9.

Mirum certe est, Iesuitas non scribere à Corvis istos frumenti modios & vini cados allatos fuisse, ut in eum Miraculorum censum aliquando veniant, quæ de Elia Thesbita memorantur 1. Reg. 17. 6.

LIV.

Et hæc est præcipua gubernandi ratio, quam Lojola tenuit: Cum ergo lolium Sectæ Esæ v. fecundo admodum in solo enatum multas jam domus & collegia sibi vendicaret, præter suum illum Generalem, Provinciales constituerunt præpositos, quibus Rectores additi, ita ut tum temporis numerarentur Provincie duodecim, & in iis Iesuitarum Collegia ferè centum: Ecce tum in lethalem incidit febrim Lojola: atque cum intima ejus præcordia urerentur: nulla tamen in facie signa mortis exstabant: Tandem cum à Pontifice salutarem expiationem & indulgentiam ritu Catholico per internuncium petiisset, decessit A. AEt. suæ 65. antequam iste qui emissus fuerat, reverteretur: atque sic sine omni dubio, Indulgentiis papalibus destitutus, purgatorium introiit, sedem ac habitaculum animarum Pontificiarum, in quo picem pro pace luculentam offendit, Mass. l. 2. c. 23.

LV.

Hasenmullerus ex Ribadeneja testatur, Lojolam ad vitæ finem & in ipso mortis quasi articulo dixisse, se esse detestabilem & indignum, qui honestè sepeliretur c. 1. & Turrianus Iesuita adfirmavit, Lojola comitem assiduum usque ad missæ aram fuisse Dæmonem: tandemque cum tremore obiisse, ac mortuum nigerrimo vultu fuisse conspectum. Cumque A. C. 1554 ipsius ossa ad templum ab Alex. Farnasio constructum transferre vellent, testibus omnibus Iesuitarum Professis, ipsa cada veris ossa inventa non sunt: fingunt jam, eadem fuisse per Angelos forsan translata: quod non negamus si Angelos malos intelligant. Hasenmull. c. 11. hist. Ies.

LVI.

Cum Ignatiij defuncti corpus exequiarum causa jaceret in feretro:

civis

22.
 civis quædam Romana filiam strumentis laborantem, quam arte nulla Medici sanare poterant, ad osculandas mortui manus admove- vehe- menter optabat, certam ex contactu filia-valetudinem sibi pollicita: sed cum præ turba impetu sæpè cæpto puella nunquam ad feretrum accedere potuisset, deniq; mater non antea destitit, quàm ex Ignatij vestimentis frustulum adeptâ est: id frustulum virginis collo simulatq; alligatum, morbus repente evanuit: dignum certè miraculum, quod in Iesuitarum gratiam credatur Mass. l. 3. c. 14. hinc certè factum, ut cada veri Rosariæ applicare, multi pilei vestium vè, quibus uti consueverat, frustula ro- gare non desinerent: quibus tamen Modestiæ gratiâ à patribus Lojolanis nihil datum Mass. l. 2. c. 25.

LVII.

Causæ In-
 stituti exas-
 nimis
 Conc.
 Trid.

Atq; ita Societatis Esarviticæ Originem ex proprijs ipsorum libris bo- nâ fide Lectoribus proposuimus: tantum verò abest ut Patre suo soboles sit melior, ut cum eo etiam de impietate & hypocrisi decertare non eru- bescat Nunc ad causas instituti examinis Concilij Trid. accessum faci- emus, quarum princeps & summa est gloria divini Nominis, quâ sa- nè nihil nobis prius nihilq; posterius esse debet. Cum enim in hac Mundî ruinâ contra repurgatam divinitus E-vangelij lucem nullum non mo- verent lapidem Romanenses in Tridentino suo maleferiato conventicu- lo, ut excussis è manibus nostris fortioribus S. Scripturæ armis suam no- bis Idolomaniam & Thomistica somnia denuò obtruderent: Nominis cer- tè divini Majestas postulavit, ut ex nostra etiam parte essent, qui pro illo, quod ab Adversarijs variè pollutum erat, gladium & hastam caperent, proq; Veritate starent, atq; sic Deum glorificarent in operibus suis. Neq; e- nim se in hostium gratiam vel unquam relicturum esse apertè confite- tur Moses ex. 10, 26. & de omnibus verè credentibus dicit Psaltes: credi- di, ideò locutus sum: & nos credimus, ideò loquimur.

LIX.

Accedit huc gravitas mandati divini, quod seriò monet, ut non omnibus Concilijs & spiritibus fidem adhibeamus sed singulari diligen- tiâ probemus, an spiritus sint ex Deo 1. Ioh. 4. 1. omnia probemus, & quod bonum est teneamus 1. Thes. 5. 20. caveamus à Pseudoprophetis Matth. 7. que tamen cautio fieri non potest, nisi illorum fructus, qualis est potissi- mum doctrina, inspiciamus: & de Berrhoensibus singulari cum ipsorum laude recenset Spiritus Sanctus quod solacitè inquisiverint quotidie in
 scripturis

23.

Scripturis V. testamenti, utrum ita se res haberet, quemadmodum illis denunciatum fuerat ab Apostolo P. Act. 17. 11.

LIX.

Urget præsens negotium temporis huius iniquitas & periculi magnitudo: Dum enim Concilium cogit Pontifex: decreta & Canones evulgat: Anathemate contradicentes ferire non desistit: per emissarios suos, qualis cum primis fuit I. Andrad. Payva, Concilij canones quâ etiam grandiloquentiâ omnibus in unum commendat, & nihil eorû intermittit, quæ ad expugnandos hominum animos facere videntur: Ibi vero lupo in oviculas pro libidine invehenti bonus pastor Chemnicus fortiter ivit obviam, perq; Examén suum, quo ad stateram divini Codicis & Andradij superbiam & Concilij Decreta appendit, tantum malum & fortiter inhibuit & feliciter propulsa vit: atq; sic officium explevit evangelici Pastoris, à quo præcipue requirit Apostolus, ut contradicentes convincere, illisq; os obstruere valeat. Tit. 1.

LX.

Cum vero è re Christianâ sit, ut, dum eadem adhuc in Ecclesiâ profectio agitur fabula alijs atq; alijs introductis personis, certus suppetat Argumentorum adversariæ partis ἐλεγχος, qui Iunioribus inculcetur: idcirco idem Chemnicianum examén, adjuvante Spiritus sancti gratia, nos ad nostrum institutum accommodatum in thesæon formam includemus, atq; sub incudem disputationum Studiosæ juventutis revocabimus: qui labor ut finem apud nos salutarem consequatur, faxit clementissimus Pater cœlestis, Amen.

LXI.

Restat ultimum disquisitionis propositæ membrum, quod de Autoritate Conciliorum ager: quod ut probè expendatur, unicâ distinctione totum negotium absolvi potest: Duplicia enim in scripturis memorantur Concilia, alia sunt malignantium Psal. 22. 17. vanitatis Psalm. 26. impiorum Psal. 1. ludificantium. Ierem. 15. 17. qualia fuerunt Concilia Ahab 1. Reg. 22. Phariseorum, Seniorum & Scribarum, damnantium Christum ad crucem Luc. 23. 66. Herodis, Pontij Pilati cum Senioribus & populis Israel adversus Dominum & adversus Christum ejus Act. 4. 27. qualia item fuerunt omnia ferè Concilia paucis exceptis, in quibus non obstantibus ijs, quæ Scripturæ dicunt (Verba sunt Concilij Constantiensis) Decreta extra, præter & contra verbum DEI scripturis Deo-

D

ὡνέυσθη

versusque consignatum fabrefacta sunt: in quorum etiam numero vel primas sibi vendicat conciliabulum Trid. ut ex singulorum ejus Canonum examine brevi, volente Deo, patebit. De his Concilijs quid sentire debeamus, paucis nos instruit August. qui ad Max. Neque ego Nicenum, inquit, neque tu Ariminense tanquam præiudicaturus adferre debes Concilium: neque ego huius, neque tu illius autoritate teneris: scripturarum autoritatibus non quorumcumque proprijs sed utrisque communibus res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione certet.

LXII.

ALTERVM genus Conciliorum est eorum, in quibus Præsidentem agit Spiritus sanctus, suamque sententiam judicariam per Scripturæ vocem nobis aperit: quale fuit illud Apostolicum Act. 15. quod omnium fuit primum in novo Testamento & in se habet egregiam bene dispositi, Sacrosancti, Oecumenici & Generalis Concilij formam & modum. Decreta enim & Canones suos confecit sicut consonabant verba prophetarum, sicut scriptum erat, Act. 15. v. 15. & in eam planè sententiam Nicenam synodum Constantinus M. aperuit cum inquit: Evangelici & Apostolici libri, & Antiquiorum Prophetarum Oracula PLANE nos instruunt, quid de rebus divinis sentiendum sit. Proinde ex dictis divinitus inspiratis sumamus quæstionum explicationes. Et Cusanus scriptum reliquit, formam veterum Conciliorum fuisse, ut sacra Evangelia ponerentur in medium.

LXIII.

Ad hunc modum si fuerint composita Concilia, non refragamur, quin eis magna habenda sit fides & autoritas, quippe quæ clarum dicunt TESTIMONIUM de Dei voluntate in scripturis patefacta: & salubris illorum est autoritas tam ad compefcenda petulantia ingenia, quam ad confirmandam veriore doctrinam. Et Martiani Imp. lex est C. de summa Trinit. & fide Cath: nè quis in synodo semel iudicata & rectè disposita disputando revolvat, tumultus aut perfidiæ occasionem inde quaerens: quisquis enim post VERITATEM repertam aliquid ulterius disputat, mendacium quaerit.

LXIV.

Tridentinum vero Conciliabulum tantum abest ut veritatem reperierit, ut etiam impudenter eos Anathemate percutiat, qui veritatem

tuen-

25.
tuentur: quod vel inde manifestum est, quod adeo noctua in morem,
lucem abhorreat, ut ad trutinam verbi divini debito & à Deo manda-
to modo examinari & discuti se non pariat: cum tamen veritas DEI
lucem non fugiat, sed vel septuple per ignem probetur Ps. 112. quare nec
in posteriori Conciliorum censu numero vè illo modo poni debet.

Iesus Christus rex regum & dominus dominantium maleferiatos im-
piissimi Conciliabuli Trid. adsertores & tibicines, si sanabiles sunt, ad
frugem perducatur: Sin minus, majestate gloriosi sui adventus citò de-
leat: Ei soli sit laus, honos & gloria in seculorum aeternitates
Amen.



Anagramma

26.
Anagramma deproperatum in honorem Pa-
trum & Fratrum Suieticorum:

FRATRES IESVVITÆ:
ESTIS REVERA FATVI.



FRATRES, IESV quos Nominis vrget
abusus,
Ore quod effertis, corde negatis i-
dem:

ESTIS REVERA FATVI. Nam qui sapit extra
Scripturæ vocem, desipit iste Deo.

Aliter.

QVod procul unanimes ab Iesu ivistis ad Or-
cum,
Estis revera (quis dubitat?) FATVI.

A Ioh. Georgio Hochstatero.



99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405




17470c

Retro

VD17







Meisner



DISPUTATIO I.
EXAMINE
LII TRIDENTINI
SCRIPTO à CLARISSIMO
Dn. Martino Chemnicio
Theologiae Doctore, trium
capitum.

*Ignatij Lojolaë Iesuitarum Patriarchæ,
Instituta hujus repetitionis.
Auctoritate Conciliorum,
quæ sub præsidio.*

MONIS GESNERI
Theologiae Doctoris & Profess. ad pri-
vatam συζητησιν proponit.

GEORGIUS HOCHSTÄTE
Kittingensis Fr. Poëta Coron.
Christi 1602. die 13. Ian:
Feb. 7. Cavete à Pseudoprophetis.
WITTEBERGAE,

Vollfgangi Meisneri.

